

THE
WILLIAM R. PERKINS
LIBRARY
OF
DUKE UNIVERSITY



Rare Books

CUM D E O !
DISPUTATIO THEOLOGICA

DE
FIDE INFANTVM,

Ex
Matth. Cap. XVIII. vers. 1.-6.

Quam
AUSPICE CHRISTO

Αρχηγῷ καὶ τελεωτῇ τῆς πίστεως.

SUB PRÆSIDIO
VIRI

Maxime Reverendi, Amplissimi atq;
Excellentissimi

**DN. BAL TASARIS BE-
BELII,**

SS. Theol. Doct. Ejusdemque P. P. Celeberrimi,

Domini Patroni atq; Praeceptoris sui etatem
Colendi.

PUBLICO Συνθεολογεντων EXAMINI
Ad d. 13. August. Ann. M. DC. LXXIII. hor. & loc. cons.
exhibet

**JOHANNES GEORGIUS Kleiber/
Memminga-Suevus.**

ATYPIS ARGENTORATI,
JOHANNIS WELPERI.

VIRIS

Nobilitate Generis, Munerum Magnificentia, Meritorum Amplitudine, Consiliorumq; Prudentia Spectatissimis

DN. EITEL SIGISMUND O Lupin.

DN. JOHANNI MATTHÆO Hartlieb à Wallsporn.

DN. JOHANNI JACOBO Koch.

S.R.I. Liberæ Civitatis Memmingensis Dnnn. Consulibus,
Patriæ Patribus Laudatissimis.

DN. JOHANNI WACTERO, Prætori Gravissimo.

DN. HIERONYMO Schermar / Consilii Secretioris As-
sessori dexterimo.

UT ET

*Viro Nobilissimo, Amplissimo, atq;
Excellentissimo*

DN. JOSEPHO Jenisch / U.J. Lic. Reip. Patriæ Syndico
meritissimo.

NEC NON

*Plurimum Reverendo, Dignissimo, Praclarissimo
Diæceseus Memmingensis Ministerio, Dnn. Seniori, re-
liquisque Symmysis Vigilantissimis:*

VIRIS ITIDEM

*Nobilissimo, Experientissimo, pl. Reverendo, Clas-
sissimis, Spectatissimis*

DN. BALTASARI ERHARDO, Med. Doct. Reip. Pa-
triæ Physico ordinatio.

DN. M. JOHANNI CUNRADO HERRMANN O,
Rectori Scholæ meritissimo, Ecclesiæ Bergensis Pastori-
vigilantissimo.

DN. JACOBO SCHÜTZIO, Archigram. dexterimo.

Dnn. suis Mecenatibus, Evergetis, Patronis, Fautoribus,
Cognatis, Preceptorib; Affini disputationem hanc in debitâ gratitu-
dinis, pro tantis in se hactenus collatis beneficiis, texuere & ulte-
riorem sui studiorumq; suorum commendationem inscribere voluerunt debuit
Humillimus Cliens.

Joh. Georg. Kleiber / Auth.

P R A E S E S E X E R C I T H


Lecturis salutem & officia!

INfantibus patrocinari, & iis quidem in re summi momenti, in præcipuis humanitatis & pietatis officiis censendum est. Jac. I. 27. Habet enim innocens illa ætas sua, quæ possidet, bona; gaudet quoq; communib^z, quibus alii, & propriis juri bus; Gal. 4, 1. seqq. at ipsa sibi appetias ferre per ætatem nequit, dextri & sinistri nescia Jon. 4, 11. quare opus est, ut alii id auxiliū, qualemq; etiam fuerit, ferant, & prosequātur. Sunt inter homines quidam maleferiati, qui bonis istorū imminent, hoc magis, quo magisteneri illi à suo ipsorūmet auxilio & consilio sunt destituti: Istis decet occurri ab iis, quicunq; per vires suas poslunt, & per officium debent, quo sua illi retineant, ab alienis verò diripiendis hi prohibeantur. Immortalis profectō laus est matris illius Prophetissæ, quæ auxilium Prophetæ imploravit, & ita filiis suis patrocinabatur, cùm creditor ipsi in captivitatē abducendis immineret: Nec defuit petenti vel ipse DEUS, quin miraculo per Eliam edito periclitantes ē magnibus eriperet abstracthentis. 1. Reg. IV. 1. seqq.

Similem patronum infantū agit per eximius atque præstantissimus Dn. Johannes Georgius Kleiberus, Memmingensis, de fide infantū disputaturus. In signis thesaurus est vita æterna, quæ jure hereditario ad infantes quoque, circumcisio ne quondam, hodiè baptismō initiatos spectat. Sunt enim illi etiam

etiam hæreditatis in cœlis repositæ immarcessibilis, immactilatæ, & interminabilis hæredes scripti, Matth. XVIII. v. 3. seqq. XIX. 14. idque per fidem, quâ meritum Filii DEI amplectuntur, Matth. XVIII. 6. Sed sunt inter adversarios præcipue Pontificii, Calviniani, Anabaptistæ, qui istum ipsis thesaurum erexitum eunt, negantes, propriâ istos fide pollere; Fidem enim si sustuleris, eamque propriam, tolles etiam id, quod non nisi fide habetur, nempe vitam & hæreditatem æternam, Marc. XVI. 16. Sua igitur pietate motus Kleiberus noster causam infantum agendam in sese suscepit, velut alter patronus, & ita egit, ut causam infantum obtinuisse ipsum nulli dubitemus. Textum enim Juris divini, ab ipso in creato DEI Filio, & hærede paternorum omnium, Heb. I. 2. seq. J E S U C H R I S T O, pronunciatum, Matth. XVIII. 6. in medium produxit; & ex illo invictè demonstravit, quod res est, infantes & propriâ pollere fide, & per hanc æternorum bonorum ab æterno hæredes esse scriptos, & aliquando teipsa fore.

Dùm verò aliorum agit causam, suam ipse tuetur; Dùm enim causam infantum agit, industriæ ipse suæ specimen edit, & ita Illustri Reipubl. Memmingensis Magistratui, Patriæ suæ Patribus, suisque Patronis, piè venerandis; meis verò Fautoribus singularibus, rationem reddit studiorum suorum. Nutritus est haec tenus ab hisce Patriæ suæ Patribus liberali stipendio, commendatus etiam est Professoris inspectioni; quare æquum est, ut edito aliquo specimine beneficium ritè collatum esse & istis, & huic comprobaret. D E U S Spiritus sui Sancti gratiam ipsi porrò admetiatur, & studia indies promoveat, donec promovenda Reipubl. Christianæ & ædificanda Ecclesiæ feliciter aliquando applicentur.



Σὺν Θεῷ!

De Fide Infantum

ex Matth. cap. XVIII. vers. 1.-6.

Cap. I.

Ἐπηγγυητικὸν.

VErba Christi, ex quibus Fidem infantum adstruimus, descripta à Matth. c. XVIII. v. 1.-6. ita sonant.

Vers. 1. Ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ προσῆλθον οἱ μαθηταὶ τῷ Ἰησῷ λέγοντες. Τίς ἄξια μεῖζων ἐσιν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν χριστῶν;

Vers. 2. Καὶ προσκαλεσάμενοι ὁ Ἰησὸς παιδίον, ἐσησεν αὐτὸν ἐν μέσῳ ἀντῶν.

Vers. 3. Καὶ εἶπεν. Αἱρὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ σφα-
φῆτε, καὶ γένησθε ως τὰ παιδία, καὶ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βα-
σιλείαν τῶν χριστῶν.

Vers. 4. Οσις δὲ γνῶση τοιωντον, ως τὸ παιδίον
τέτοιο, ἔτος ἐσιν ὁ μεῖζων ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν χριστῶν.

Vers. 5. Καὶ ὡς ἀν δέξηται παιδίον τοιωτον ἐν εστὶ τῷ
ἐνόματί μου, ἐμὲ δέχεται.

Vers. 6. Οσδέ ἀν ζωαδαλίσῃ ἐνα τῶν αἰτερῶν τού-
των τῶν παιδεύοντων εἰς ἐμὲ, συμφέρει ἀντώ, ίνα κορμα-
θῇ μυλῷ ὀνικὸς εστὶ τὸν τράχηλον αυτῷ, καὶ καταποντι-
θῇ ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης.

Erasmus hæc verba ita vertit: v. i. In illo tem-
pore accesserunt discipuli ad Jesum: dicentes. Quis

maximus est in regno cælorum ? v. 2. Et accersit
tum ad se puerum JESus statuit in medio illorum :
v. 3. Et dixit: Amen dico vobis , nisi conversi fue-
ritis , & efficiamini sicut puelli , non ingrediemini
in regnum cælorum. v. 4. Quisquis igitur demise-
rit semetipsum , sicut est puellus iste , hic est ille
maximus in regno cælorum. v. 5. Et qui receperit
unum puerum talem in nonine meo , me recipit.
v. 6. Qui autem offenderit unum de pusillis istis , qui
in me credunt , expedit ei , ut suspendatur mola as-
naria in collum ejus , ac demergatur in profundum
maris.

Loca parallela sunt Marc. IX. v. 42. Matth. XIX:
14. Marc. X. 14. Luc. XVIII. v. 15. seq..

§. 2.

Notamus circa hæc verba I. Scopum Chri-
sti.. Eum ita formamus: Sæpius jam concionatus
erat Christus discipulis suis de regno suo : at illi inver-
teratā judaicā opinione putabant, fore mundanum,
in quo hostibus suis pro lubitu dominari possent.
Hæc opinio animos eorum ita pervaserat , ut pri-
matum in eodem singuli per contentionem affecta-
rent. Christus ergò istam confutaturus , & pleniū eos
informatur , assumit παρδίον , quo viso , mox ipsi intel-
ligere vel possent vel deberent , quale regnum intelli-
geret , nempe tale , ad quod etiam parvuli apti essent.
At verò ad regnum aliquod mundanum admini-
strandum parvulum nemo dixerit esse aptum. Ergò
aliud regnum intelligit , cælestis gloriæ. Deinde
ostendit virtutes , quibus instructi ad illud regnum
pervenire possint , non quidem per modum meriti ,
quod vult h. l. Maldonatus & Cornelius à Lapide , sed

¶

Tāξew^s divinæ , cujus observatio necessaria. Solâ enim fide consequimur regnum cælorum. Cum fide ambitio & superbia stare nequit. Illa fides, tanquam bona arbor, profert virtutes, humilitatem, mansuetudinem &c. ut fructus; ex quibus candidatus regni cœlestis cognoscitur ; *Τῶν πιστεύοντος* enim est *ἡ βασιλεία τῶν ἀγανῶν*.

§. 3.

Notamus deinde significationem verborum Christi : & quidem I. est *βασιλεία τῶν ἀγανῶν*, regnum cælorum vers. 1. Maldonatus hanc vocem accipit de regno gratiæ seu Ecclesiâ : quem Cornel. à Lap. non quidem rejicit, simplicius tamen dicit accipi pro ipso regno cælorum in futuro seculo : quod probare vult ex verbis Christi : Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Nos dicimus, aliter accipi hanc vocem in vers. 1. à discipulis, aliter in v. 3. 4. à Christo : nec ludere Christum ambiguitate vocis *Regnum*, quod Maldonatus h.l. temerè asserit: sed esse diversum respectum : Discipulos intelligere regnum mundanum, Christum verò cæleste, ad cuius consecrationem nemo, nisi verâ fide, cuius finis est salus animæ, instructus pervenire possit. Unde vult discipulos conformari *τοῖς παιδίοις πιστίν*. Optimè D. Hunnius h.l. Quanquam, ait, introducantur Apostoli quærentes, quis sit maximus in regno cælorum? tamen certum est, ipsos intelligere regnum Christi, quod terrenum fore iudaicâ inveteratâ opinione putabant. Vocant autem nihilominus regnum cælorum, quia audiverant, ipsum Christum ita appellasse illud. &c. & mox: Et quidem ad mundanum Christi regnum pertinere discipulorum questionem, vel ex eo ap-

paret, quod Marcus scribit, *Apostolos inter se disceptâsse*, quis inter ipsos futurus esset major? absurdum autem est, putare, *Apostolos inter se disceptâsse*, quis futurus esset major in regno futuri seculi?

¶. 4.

Παρδίον puerulus, altera vox est, subjectum quæstionis nostræ notans. Vox ipsa per se clarissima est, sed diversimodè & à multis malè explicata. Lexicon dicit, notare puerulum, qui nutricem adhuc habet, à quâ curetur: quæ propria & nativa est significatio, à quâ recedunt Pontificii & Calviniani, dicentes, notari puerum grandiusculum, qui vocatus ad Christum accesserit, & scandalizari potuerit. Verum quod illud attinet, respondet Dn. D. Feurborn. fasc. V. disp. IV. πητῶς 1. non dici, quod isti pusilli pedibus suis ad Christum venerint, sed tantum, quod Christus puellum ad se vocârit. At infantes, etiam nondum valentes vâdere, ab aliis tamen gestari, suo nomine proprio advocantur, ut testatur experientia: 2. Si vel maximè puer-hic suis pedibus itare potuisset, (quot tamen textus expressè non dicit,) valida tamen sunt argumenta, quibus ipse firmiter & luculenter probatur, non grandis puer, sed pusillus adhuc, seu tenellus fuisse. &c. De scando infra agemus in voce *Χανδαλίσῃ*. Maldonatus h. l. eandem vocis proprietatem negat, & substituit infantem mysticè acceptum, innocentem, qui non solum verbis, sed rebus etiam ipsis præsentibus humilitatem simplicitatemque doceret. Cornel. à Lap. aliter accipit *παρδίον* in vers. 2. aliter in vers. 4. 5. Ibi dicit, notari infantem ætate & staturâ; hîc verò mysticum. Illud probat ex Luca, qui habet, *puerum istum*; unde, ait, liquet Chri-

Christum loqui primò de puerò verè parvulo. Hoc
verò, quòd Christus ludat ambiguitate vocis *parvulus*. Verùm damnamus hoc ut errorem Socinia-
num: illud assuminius, & tenemus ubique; moti 1.
ipsâ vocis naturâ, dùm per diminutionem ponitur,
 $\pi\alpha\delta\iota\sigma$ à $\omega\alpha\jmath\sigma$. Quæ cum absolutè ita ponatur, uti-
que secundùm regulas bonæ interpretationis in pri-
mâ significatione manendum est; nec ab eâ rece-
dendum, donec per aliud restringatur. 2. Christi
explicatione, qui vocat $\mu\alpha\kappa\epsilon\gamma\sigma$ parvulos vers. 6. 3.
collatione aliorum locorum, in quibus $\pi\alpha\delta\iota\sigma$ pro
infante ponitur: Matth. II. II., usurpatur de Christo
recens nato; Luc. II. vers. 21. de eodem circumciden-
do. 4. Interpretatione Lucæ, qui c. XVIII. 15. vocat $\tau\alpha\beta\epsilon\phi\eta$, quæ vox notat infantem vel adhuc in utero
matris latitantem; ut Luc. I. 44. 41. de Johanne $\epsilon\tau\kappa\iota\beta-$
 $\tau\eta\sigma\tau\alpha\beta\epsilon\phi\eta$ èv $\tau\eta\kappa\iota\lambda\alpha\alpha\iota\tau\eta\sigma$; vel recens editum,
ut Luc. II. vers. 12. 16. de Christo recens nato. Sed re-
gerit h. l. Piscator, $\tau\alpha\beta\epsilon\phi\eta$ interdum notare pue-
rum natu grandiusculum, doctrinæque capacem, ut
II. Tim. III. 15. At Paulus ibi Timotheum non sim-
pliciter vocat $\beta\epsilon\phi\eta$, sed ipsum $\alpha\pi\tau\alpha\beta\epsilon\phi\gamma\sigma$ sacras
literas nosse. 5. aliorum vocabulorum suffragio.
Marc. IX. v. 36. dicitur Christus $\lambda\alpha\beta\omega\eta\pi\alpha\delta\iota\sigma$ $\nu\eta\sigma\epsilon\tau\alpha\lambda\iota\sigma\alpha\mu\epsilon\eta\pi\eta$, quod de ætatis teneritudine intelli-
gendum, vid. D. Dannh. Hodosph. phæn. XI. lit. P.
Luc. XVIII. ait, $\pi\varrho\sigma\tau\epsilon\phi\eta\sigma\alpha\mu\tau\alpha$, attulerunt, appor-
tarunt: quod idem etiam teneritudinem ætatis no-
tat; quanquam Piscator hoc verbum aliter vertere
& interpretari conetur, pro $\pi\varrho\sigma\eta\gamma\alpha\gamma\sigma$, sed obstat
clara litera.

Ἐὰν μὴ στραφῆτε, nisi conversi fueritis. Maldonatus & Cornel à Lap. h.l. 1. peccatum Apostolorum elevant, quod non mortale, sed saltem veniale fuerit. 2. meritum operum suorum extruere inde co-nantur. Verum Resp. ad 1. omne peccatum naturā suā esse mortale. 2. Christum hīc non loqui de me-rito, sed de τάξει, seu ordine divino.

Δέξηται suscepere. Communiter explicant de beneficentiā. Maldonatus ait, suscipere est non so-lūm domo excipere, sed quovis benevolentiae gene-re prosequi: uno verbo, benefacere. D. Hunnius h. l. qui benefacit parvulis, eosque ad omne bonum promovere studet: unde & Christus τοῖς κωλύγοις γαράνητε. Marc. X. 14.

"Ος δὲ Χανδαλίσῃ, qui verò scandalizaverit vel offenditerit. Maldonato Χανδαλίζειν, h.l. non est ma-lum exemplum præbere, sed injuria aliquem affice-re: ut constet oppositio inter τὸ δέχεσθαι & Χανδαλίζειν. Corn. à Lap. intelligit scandalum priuè dictum, & explicat h.m. Qui unum ex pusillis istis scandalizaverit, h. c. pravo verbo vel exemplo à me, meo ġ, amore & cultu averterit, satius ei foret in mare demergi. Neutra ha-rum explicationum incongrua videtur. Maldonati nimis latam Cornelius explicat pleniū: & benè, modò mansisset in propriā significatione τὰ παρόδια à quā etiam Calviniani recedunt. Nam distinguen-dum est inter scandalum datum & acceptum. De il-lo sine dubio Christus loquitur; & respicit vel doctri-nā, vel mores. De moribus primariō loquitur, ut patet

ex eo, quod parvulum humilem, mansuetum, & simplicem discipulis contendentibus proponit. Et ita scandalizari posse parvulos, probat Dn. D. Feurbornius falsc. V. disp. IV. Testatur, ait, experientia, quod infantes, percepto alicujus dicto vel facto, enormiter turpi, offendique queant. Annon enim quando vident aut parentes suos, aut alios frontis contractione, oculorum inversione, labiorum compressione, & morsione, sputi emissione &c. in alios indignari, similia facere quandoque attentant? hæc ille. Quanquam scandalum in doctrinâ non excludatur: quod sit, quando heterodoxis doctoribus traduntur informandi. conf. D. Hunnium h.l. Adde quod non necessariò statuendum statim fit scandalum actualle, sufficit potentiale, quale describitur Matth. XVI. vers. 23.

§. 8.

Tῶν πιστεύοντων εἰς ἡμέας. Eorum qui credunt in me. Continetur hic prædicatum questionis nostræ: an infantes, supra descripti, aetate ipso habeant fidem salvificam? Maldonatus, uti diximus, ne fidem cogatur concedere, mutat subjectum, sed frustra. Nos nexus hunc subjecti cum prædictato dicimus firmum esse; & notari tūm ipsum actum fidei, cùm ejusdem objectum. Actum verbo vel participio activo, τῷ πιστεύοντι: ut sit fides vera, propria, actualis. Quam Calviniani negant, & Pontificii, substituentes alienam, scimen, & radicem fidei: Sed male. Nam iustus suâ fide vivet: & perinde esset, ac si dicerent: Infantes vivere, sed non acti. Objectum, voce, εἰς ἡμέας. Emphaticè posita est præpositio. Nam alias magnum discrimen est inter πιστεύειν τῷ, πιστεύειν τῷ, & εἰς τῷ.

tria. Illud est simplicis notitiæ, & competit etiam diabolis: Istud est assensus, & competit etiam hypocritis: hoc fiduciæ, & est tantum salvificè credentium. vid. D. Dannh. Hodos. phæn. XI. Et hæc fiducia est ratio formalis fidei, quæ etiam infantibus competit, teste ipso Christo h. l. Qualis verò hæc sit fides, infrà videbimus: sufficiat hic, indicare, esse veram, perfectam, constantem notitiâ, assensu, & fiduciâ, actualem: licet modum ejus ignoremus.

Cap. II.

Continens Thesm.

§. I.

PRæmissâ evolutione textûs, rem ipsam aggredimur, & ponimus primò statum controversiæ contra Pontificios, Calvinianos, Anabaptistas &c. hunc: An Infantes Christianorum baptizati verè, auctu ipso, & salvificè ipsi credant? Negant illi, nos affirmamus. Distinguimus autem (α) inter fidem actualem, habitualem, & potentialem. Hanc statuunt Calviniani, istam Pontificii, illam nos. (β) inter fidem ipsam & radicem ejusdem. Pro istâ stamus nos contra Calvinianos. (γ) inter fidem directam & reflexam. Illam defendimus. (δ) Inter fidem propriam & alienam. Loquimur de fide propriâ. (ϵ) inter fidem ipsam & fidei fructus seu effectus. Quæstio est de illâ. (ζ) inter fidei sensum & actum. Hunc propugnamus. (η) inter infantes Christianorum & gentilium. Quæstio est de ipsis. (ϑ) inter infantes baptizatos & non-baptizatos. Dicimus, infantibus in & per baptismum fidem conferri.

§. 2.

§. 2.

Definimus hanc fidem Infantum ex scripturâ, quod sit Actus, constans notitiâ, assensu & fiduciâ, excitatus à Spir. S. in & per baptismum, apprehendens meritum Christi, & salvans. Non opus est hîc multa dicere de definito, Fide, quoad etymologiam, homonymiam & synonymiam ; cùm passim id legatur. Vid. D. Dannh. Hodos. phæn. XI. lit. H. Saltem notetur, esse sermonem de fide verâ & salvificâ.

§. 3.

Majorem difficultatem moverunt adversarii circa genus, dûm alii per habitum, alii per semen vel potentiam descripsere. Nos ex scripturâ intrepidè asserimus, esse actum. Non negamus quidem, fidem, in quantum ex verbo lecto, vel auditio, producitur, & manet, habitu verè quendam talem dici posse. Cùm enim verbum (uti contra adversarios, efficaciam verbi negantes, haec tenus Nostrates defendebant) non solum significandi vim, & objectivè movendi intellectum habeat, sed etiam vi organicâ producendi fidem à DEO sit instruatum, certum aliquem effectum certò post se relinquet ; At ut fides non sine verbo, immediatè, in animâ creando infunditur & infundendo creatur, teste Paulo Rom X. 17. ita nec verbum immediatè hoc peragit : Requiruntur enim mediantes actus hominis & media paedagogica, nempe lectio verbi, auditio, & meditatio. Hinc colligitur, speciales actus fidei proximè, quidè & immediate è verbo dependere, nihilominus tamen habitum quendam per idem efficax verbum, medianibus & intervenientibus istis actibus produci. Cui sententiae accedit testimonium omni

exceptione majus, Pauli Hebr. cap. V. v. 14. ubi fidem expressè vocat ζητ.

§. 4.

Jam cum res ita sese habeat cum fide adulorum è verbo divino derivatâ, nostri muneris est, ut dispiciamus, an pars ratio sit in hoc puncto fidei adulorum ex verbo conceptæ, & fidei infantum per lavacrum baptismale collatæ? Num & hæc sit habitus tantum, seu facilitas quædam agendi; in intellectu infantis residens, vel potius merus etiam & purus putus actus, quo objectum suum salvificum simplici apprehensione sibi appropriet? quarum quæstionum priorem, & antecedens posterioris intrepidè negamus; siquidem diversus modus conferendi diversitatem quoq; in hoc tertio importat; ut adeò fides infantum baptizatorū propter defectum nempe auditū, habitus instar & quidem quasi acquisiti considerari nequeat. Nostrum proinde facinus posterius posterioris quæstionis membrum, quod fidem infantum merum actum esse dicit: cuius verò rationem formalem, tūm ratione productionis, tūm ratione termini producti in hâc vitâ nemo, propter defectum revelationis, exactè expedire potest. Sufficit scire quod verè credant; quomodo verò credant, Deus ipse nos ignorare voluit.

§. 5.

Hunc actum dicimus esse realem, supernaturalem, internum, directum, apprehendentem meritum Christi & salvantem. Probamus ex verbo Christi, τῶν πιστεύοντων εἰς ἡμές; quæ vox certè actum denotat, uti planum est, non otiosum habitum, aut incli-

inclinationem ad fidem , quod vult Zach. Ursinus .
 vid. D. Feurb. fasc. II. disp. IX. §. 38. 39. 40. Probamus
 itidem ex inductionis naturâ : Quid induunt Christum ,
 illi apprehendunt Christum . Atqui , Infantes bapti-
 zati induunt Christum : Erg. Minor habetur Gal.
 III. 27. Major patet ex ipsâ naturâ inductionis Chri-
 sti , quæ aliter concipi nequit nisi per imputationem
 & appropriationem justitiae Christi ; quâ tanquam
 ueste salutis tegitur in infantibus , quicquid sordium
 contraxerunt per suam à corruptis parentibus de-
 scendentiam . Verum excipiat hîc adversarius , dari
 quoque inductionem Christi per modum imitationis
 & infusionem justitiae inhærentis . Résp . Nullum
 hîc actum imitationis ab Apostolo innui , sed funda-
 mentum filiationis & incorporationis in Chri-
 stum & Ecclesiam proximum , quod aliud non est
 nisi apprehensorium . Præterea inductionem hanc
 ad paclum evangelicum pertinere , certi sumus , quia
 baptismus primò ordinatus est , ut offerat & conferat
 gratiam à Christo acquisitam , ut ita induitio per imita-
 tionem & sanctitatem non nisi consequenter at-
 tendatur , tanquam aliquid fluens ex inductione ev-
 angelicâ .

§. 6.

Hic actusjam descriptus constat porrò distinctis
 suis partibus , quæ vindicandæ adversus adversarios .
 Prima pars est *Notitia* . Negat Bellarm. de Justific. c. 7.
 afferens , fidem per ignorantiam magis definiendam
 esse , quam per notitiam . At contra scripturam quæ
 fidei expresse tribuit notitiam , Job XIX. v. 25. Ésa. LIII.
 v. 11. Luc. I. 77. &c. vid. D. Dannh. Hodos. phæn. XI.
 Et alibi fatetur ipse Cardinalis , fidem describi per v. o-

cem intelligendi, quæ ad ignorantia accommodari nullo modo possit. conf. D. Gravv. prælect. in A.C. de Justif. At quantum ad nostram questionem, posset quis objicere, si fides omnino definienda sit per notitiam, fieri id in respectu ad adultos? *Resp.* Loquimur hic de fide salvificâ ut sic, quæ una eademque est in adultis & infantibus quoad speciem; quoad gradus vero est distinctio aliqua, & hic quidem respectu notitiae; nam in adultis est reflexa, in infantibus vero directa & simplex. Exemplum esto Johannes, qui in utero matris adhuc clausus novit Messiam: Et Joh. I. epistolâ c. II. 13. eandem infantibus expressè tribuit, his verbis: γράφω ὑμῖν παθία, ὅτι ἐγώ γένεσαι τὸν πατέρα. Qui locus de adultis explicari nequit, cum ipse Apostolus distinctionem & differentiam ætatum jam posuerit.

§. 7.

Altera fidei pars est *Affensus*: quem quidem Pontificii concedunt ad fidem requiri, sed ita, ut eo absolvatur fides, & fiducia excludatur. Prius & nos concedimus; posterius *ἀποτόμως* negamus: quia alias etiam hypocritæ, immo & ipse diabolus, salvificè crederent, quia habent assensum. Ergo aliquid amplius requiritur ad fidei essentiam, nempe firma fiducia. At hæc à Nostratibus Theologis passim probata sunt. Nostrum est, h.l. ostendere, an, quomodo & qualis assensus infantibus competit? Ad primum, an competit? respondeo, stante thesi, assensum ad fidem requiri, & fidem infantibus ab ipso Christo adscribi, fieri non potest, quin etiam assensum ipsis tribuamus. Nam, qui credit in Filium DEI, habet testimonium in se ipso, I. Joh. V. 10. Jam qui habet te-

stimo-

imonium in se , habet assensum. Probatur, quia,,
 ut testimonii natura & vis in eo consistit, ut de eo, quod,,
 dubium videtur, certitudinem aliquam intellectui in-,,
 generet, eundemq; ad assensum moveat; ita receptio,,
 testimonii dicit ipsum assensum, quem intellectus rei;,,
 sub infallibili testimonio propositæ, præbet. vid. Dn. D.,,
 Wölfli disput. I. de obligatione credendi in Chri-
 stum. Ad secundum, quomodo? Dicimus esse non
 ex ratione, cuius plenum usum nondum habent, sed
 à Spiritu S. in ipsis operante. Ad tertium, qualis?
Respond. simplex, acquiescens promissionibus DEI,
 non luctans, ut est in adultis: simplex quidem, sed
 interim firmus & tranquillus. vid. D. Feurb. fasc.
 II. disp. IX.

§. 8.

Tertia fidei pars, quæ ipsam fidē salvificā constituīt,
 & rationem ejus formalē, est fiducia: quam h.l. non
 consideramus ut virtutem in intellectu solum resi-
 dentem, sed dicimus esse tendentiam in meritum
 Christi, tanquam objectum præsens, cuius interven-
 tu bonum aliquid arduum & futurum (vita æterna)
 obtinetur. Probamus, quia huic soli tribuuntur fi-
 dei salvificæ effectus, nempe justificatio, adoptio, sa-
 lus æterna &c. notatur hæc pars in scripturâ per par-
 ticulam *et*, plerumque. Multa loca non allegabili-
 mus, conf. *Magnificum* Dn. D. *Sebast. Schmidum* in
Colleg. Bibl. priori pag. 300. seq. Sufficiat quoad
 rem præsentem, noster locis, in quo per eandem par-
 ticulam fiducia de infantibus prædicatur.

§. 9.

Pergimus hinc ad differentiam : in quâ occur-
 rit I. Causa efficiens tūm principalis, tūm instru-

mentalis. Illa est Spir. Sanctus, qui mirando modo fidem operatur per verbum non tantum *ἀναστὰς*, ut in adultis Act. II. 37. sed etiam *ἐρεπτὸν*, in infantibus. Probatur ex scripturā hæc efficacia, quæ fidē tantum DEI donum esse dicit. conf. Eph. I. 19. ubi dicuntur credere *καὶ τὴν εὐγένειαν τὴν κράτος ἡῆς ισχύον* ἔτεσ. Nec verò actio est immediata, sed mediata, non quidem per verbum Evangelii auditum, sed per sacramentum baptismi, quod docet Augustana nostra confessio, art. V. & IX.

§. 10.

II. Causa materialis seu objectum fidei à Theologis Nostratisbus triplex constituitur, adæquatum, primarium & proprium. Illud est quicquid DEUS in suo verbo revelavit, Act. XXIV. 15. istud, doctrina de Christo JESU, i. Cor. II. 2. Hoc est ipse Christus, quatenus pro illo ipso, qui credit, passus, mortuus & resuscitatus est, Gal. II. 20. i. Tim. I. v. 16. Attendimus hinc objectum proprium ostensum Christi digito indice in nostro loco.

§. 11.

III. Finis fidei vel est ultimus, gloria Dei, prædicata de infantibus, Ps. VIII. v. 3. & ab ipso Christo, Matth. XXI. 16 vel proximus, æterna salus i. Pet. I. 9. adscripta infantibus, Marc. X. 14.

§.

Explicavimus hactenus fidem infantum secundum genus & causas suas, jam opus est, uteandem veram, actualē & propriam esse probemus. Desumimus argumenta ex textu nostro: & quidem

Primum

Ex voce προσκαλεσάμενον, vers. 2. & εναγκαλισάμενον,

¶, Marc. X. 16. ubi describitur intensissimus simul Christi amor, & complacentia, quæ sibi est in illis. Argumentamur: Quicunque placent DEO, credunt. Atqui infantes placent DEO. Erg. Major est Pauli ipsius, Hebr. XI. v. 6. Χωρὶς πίστεως εὐαγγελιστας θεῷ ἀδύνατον. Minor habetur in textu clarissimè. conf. Luc. XVIII. v. 16.

Secundum

Ex vers. 3. Ubi Christus vult discipulos suos conformari *τοῖς παιδίοις*, regnum cælorum possessoris. arg. Illi, quibus Christus discipulos suos vult conformari, credant necesse est. Atqui, infantes sunt, quib⁹ Christus discipulos suos vult conformari. Erg. Minor habetur vers. 3. Major probatur, quia alias grande absurdum sequeretur, Christum velle discipulos suos conformari incredulis: quod omnino sequeretur, si infantes non crederent. Nam duo sunt tantum hominum genera, fideles & infideles. Absit autem ut cogitemus de Christo, qui venit, salvare quod peregrinat, velle ipsum assimilari homines incredulis.

Tertium.

Suppeditant fructus fidei, virtutes Christianæ, v. 4. & procedit ab effectu ad causam, h.m. Ubi sunt effectus seu fructus fidei ibi est ipsa fides. In infantibus sunt fructus fidei. Erg. Major nota est ex philosophia. Minor est Christi. vers. 4. ubi dicitur ipsis prædicatur humilitas, quæ est fructus fidei: item, Laudare DEUM, Ps. VIII. 3. Matth. XXI. 15.

Quartum.

Habetur in v. 5. & 6. ubi Christus infantes, ut fideles, omnium curæ commendat, & seriò dehortatur, neullo modo ipsis quis sit scandalo: quippe id ipsum in novis-

novissimo judicio vel gratuitò compensabit, vel ju-
stè vindicabit. Concludimus hinc, infantes credere,
quia etiam ipsorum susceptionem sibi appropriat i-
psi, εμε, ait, δέχεται, quod de incredulo non dicitur.
conf. Matth. XXV. vers. 40. ubi ait, οσον ἐποίησατε ἐν
τέτω τῶν αδελφῶν μη τῶν ἑλαχίσων, εμοὶ ἐποίησατε: uni
horum fratrum meorum, quos separavi à damnatis,
qui & in æternum gloriâ cæli frumentur. Idem est in
nostro textu τὸ δέχεσθαι.

Quintum.

Est ab ipsis Christi testimonio, vers. 6. τέτων τῶν
πισευόντων εἰς εμὲ: quod omnibus fidem Infantum
vel negatibus, vel calumniantibus & ridentibus pro-
ponimus, ut ab ipso, qui est ipsissima veritas, Joha-
n. XVI. 6. discant rationem suam compescere & maxi-
mè miramur impudentiam Cunæi, qui lib. III. de
Rep. Hæbræorum cap. IX. doctrinam hanc vocat fa-
tuam, ejusque assertores dignos censet, qui flagris
castigentur; item vocat delirium. Dicimus nos i-
psum magis esse fatuum, quia fatuam & in divinis
planè cæcam rationem solùm sequitur. Retinemus
verba Christi clarissima quoad rem ipsam, licet rei i-
stius modum in hâc mortalitate ignoremus. Prin-
cipium Cunæi est ex Epist. Rom. X. ubi πιστεῖ, dicitur es-
se, εξ ἀκοῆς, quæ de infantibus non possit dici, sed de
hoc cap. seq.

Sextum.

Habet Marcus c. X. 14. ubi Christus ait: τοιγάρων
εἰς ιδιαστιλεία θεοῦ. Argumentum: Quicunque sal-
vantur, credunt. Infantes salvantur: Erg. credunt.
Major prob. ex Joh. III. 15. Minor est Christi l.c. sed
regerunt adversarii, posse infantes salvari imputa-
tione

tione meriti Christi, sine interveniente fide, in primis cùni foederis nondum sint capaces. *Resþ.* ad prius, esse universæ scripturæ ignotum: ad posterius, esse falsum, cùm DEUS etiam cum bestiis fœdus pepigerit. vid. D. Dannh. l. c. p. 1105.

Septimum

Dat experientia, vel scriptura exemplis comprobans. Primum omnium allegatur Johannis Baptista: quod quidem Theologi Nostrates concedunt, esse extraordinarium, allegant tamen ad probandum, infantes motuum spiritualium & fidei esse capaces. vid. D. Chemnit. Exam. Concil. Trid. part. II. Alterum est ex Oseæ c. XII. v. 3. de Jacobo, de quo vide Megalandrum nostrum D. Lutherum, citatum in Hodos. Dn. D. Dannh. pag. 999.

Octavum

Præbet ipse status controversiæ: loquimur de infantibus circumcisio (baptizatis) adeoque de regeneratis: regeneratus autem non potest esse sine fide. Hinc argum. Omnis regeneratus credit. Infantes circumcisi (baptizati) sunt regenerati. Erg.

Ultimum

Damus ex hypothesi adversariorum. Calviniani referunt infantes in numerum credentium, sed fidem ipsis derogant. Absurdè! Nam eo ipso, dum annumerant credentibus, concedere coguntur, ipsos revera credere, & quidem fide propriâ: quâ ipsis apprehendunt meritum Christi & salvantur.

Cap. III.

Continens Antithesin.

§. I.

Afferuimus hactenus orthodoxam de Fide Infan-

C

tum

tum verâ & actuali *θεον*; addendum jam aliquid de
āvīdēs. Comprehendemus eam tribūs aphorismis:
quorum

Primus.

Hic esto:

*Infantes non habent fidem actualem, sed ha-
bitualem tantum: non propriam, sed alienam.*

Ita Calviniani & Pontificii: Tannerus, Bellar-
minus, Cunæus l.c. Aphorismus est bimembri: prius
membrum est Pontificiorum: circa quod (1.) nota-
dum, quid per habitum intelligant? nempe nil nisi
otiosam quandam qualitatem infusam; quia infan-
tes apti fiant ad fidem aliquando recipiendum; vel
characterem aliquem, qui, per sententiam Patrum
Tridentinorum, in tribus sacramentis, Baptismo sc.
Confirmatiōne & Ordine imprimitur, h. e. signum
quoddam spirituale & indeleibile, unde ea iterati
non possint. vid. D. Chemnit. l. c. (2.) Fictum hun̄c
habitum probare & actum rejicere conantur, argu-
mentis desumptis

a. à conditione infantum, quia verbum, per
quod fides acceditur, audire non possint. Argumentum ita haberet. Q. non audire verbum DEI,
ille nec credere potest. Atqui infantes &c. Erg. Ma-
jorem probant ex Rom. X. 17. Minorem confirmat
experientia. Resp. ad majorem, negando. Nam pos-
sunt esse unius rei conferenda plura media: ut ita
auditus verbi divini non sit solum medium, exclusi-
vum aliis: distinguendum itidem inter verbum ὀρα-
τὸν & ἀνγέλον: quae distinctio omnino adhibenda pro-
pter diversitatem subjectorum: Verbum ἀνγέλοι spe-
ctat ad adultos, ὀρατὸν ad infantes.

B. à

β. à defectu sensus fidei: **Quicunque non scit vel scit se credere, is planè non credit.** Atqui infantes &c. Erg. **Reſp.** Major patitur instantiam: agonizans non scit se credere, & tamen credit; doctus dormiens non scit se esse doctum, & tamen doctus negari non potest. Deinde ipsi distinguimus inter fidem directam & reflexam, dicentes, non hanc ipsis competere, sed tamen illam: item inter fidei τὸ ὄτι, & τὸ διότι: Illud ex Christi effato patet: hoc nobis est incognitū.

§. 2.

Alterum membrum est de fide alienâ: quæ est vel parentum vel Ecclesiæ. Argumenta quæ Pontif. pro fide alienâ afferunt; desumunt ab exemplis Paralyti- ci Matth. IX. Jairi, qui suâ fide filiæ salutem impetravit, ibid. Sed **Reſp.** 1. Paralyticum ipsum credidisse, patet tûm quia Christus ipsum vocat filium, adjecto verbo θάρσει, quod de fide verâ prædicatur; tûm quia remissionem peccatorum ipse consecutus est. 2. Distinguendum inter salutem corporalem & spiritua- lem. Illam Jairus filiæ suæ impetravit; & libenter concedimus, posse alienâ fide alicui bona corporalia impetrari, & spiritualia interdū: sed hic alia est qua- stio, an quis possit alienâ fide credere? Quod statue- re certè absurdum est, & idem esset, ac si diceretur, posse aliquem vivere animâ alienâ. Ad hæc fides ista aliena scripturæ est ignota, quæ nullâ nisi propriam agnoscit, Hab. II. 4. Cunæus Calvinianus l.c. fidem pa- rentem infantibus tribuere vult ex loco illò, i. Cor. 7. v. 14. ἐπεὶ ἀρὰ τῷ Χερύῳ υμῶν ἀκάθαρτά εἰσιν, νῦν δὲ αἴγιαί εἰσιν. **Reſp.** D. Hun. h. l. sanctitatem illam non esse internâ, sed externam & civilem; & explicat h. m. alias liberi essent immundi, i.e. non è legitimo loco nati, & pro- inde spurii; quorum procreatio parentibus illis fuisset immunda & inconcessa.

§. Se-

§. 3. Secundus Aphor.

Infantes non habent ipsam fidem, sed radicem & semen fidei.

Ita Calviniani. Probant, 1. quia nec notitiam, nec assensum, nec fiduciam habeant. 2. de capiribus fidei non possint respondere, vel eandem publicè profiteri. 3. quia sit otiosa, non operosa. *Resp. ad 1.* contrarium suprà ostendimus. *ad 2.* hoc non derogat quicquam fidei, nam corde creditur ad justitiam, Rom. X. 10. *ad 3.* Non est otiosa, sed operosa. Nam laudant infantes DEUM, Ps. VIII. Matth. XXI. Vincunt mundum. Pergit hīc Cunæus l. c. & provocat ad experientiam: *Agant, ait, verò illi, quorum est istud delirium, & memoriam pueritia sue, quoad possunt, repeatant ultimam, sanè haud dicent, se vel illo tempore, cùm inter aquales primulum ludere inciperent, quicquam magnopere compertum habuisse de summo religiosus mysterio.* Speciosum ex ratione argumentum! Cui opponimus 1. Christum καρδονάσν; 2. distinctionem inter fidem reflexam & directam. 3. inter rem & rei modum. Hic est & manet ἀλάλυτός. 4. nulla est consequentia: cùm ad annos discretionis perveniunt, non possunt explicare, quòd vel quomodo crediderint: Erg. planè non crediderunt? 5. fidei amissibilitatem: quæ ut avertatur Christus infantes suscipi mandavit; ut informentur. Et se hæc res habet sicut in naturā ignis. Si accendas ignem, nec addas pabulum, extinguetur: Ita etiam in infantibus: Accensa est fides à Spiritu; S. hic autem non immediatè semper & absolute cum ipsis agit, sed per certa media, & vult ut semper crescant.

§. 4. Tertius Aphor.

Infantes non sunt apti ad fidem

Ita Photiniani. Re. Si in se spectentur infantes, omnino concedimus ipsis, ut & omnem hominem post lapsum ad fidem esse ineptum: sed hīc est spectanda Dei dispensatio, nam hic est, σικαριώτας ήμας εἰς τὴν μερίδα τῆς κληρόντων ἀγίων εἰς τῷ φαντί. Col. I. 12.

§. 5.

Et tantum de fide infantum, quantum permisit instituti nostri ratio: Plura alibi habentur. Subsistimus hīc, gratias agentes Christo Iesu ἀρχηγῷ καὶ τελεσθῆτίν τοῖς σιστέως ήμῶν pro concelef-
sâ haec tenus Spir. sui sancti gratiâ, eundemq; rogan-
tes ut eādem porrò nobis adspirare velit.

F I N I S.

